

## RUDOLPHI IMPER. &amp; REGIS DECRETUM I. ANNI 1578.

*Carolus et Ernestus Archi-Duces, in rebus bellicis, pro Vices-Gerentibus Majestatis Suae acceptantur et recognoscuntur.*

## A r t i c u l u s 15.

Quod vero Majestas Sua Caesarea et Regia, Statibus et Ordinibus Regni significat, Majestatem Suam Caesaream, Serenissimis Principibus, Carolo et Ernesto Archi-Ducibus Austriae, huic quidem Ungariae, illi vero Croatiae et Sclavoniae, confinium curam et administrationem concedidisse: Ideoque eosdem hortari, ut in his, quae ad rem bellicam et confinium defensionem pertinent; ad ipsos Dominos Archi-Duces respiciant et eis obedientiam praestent; in caeteris vero, quae ad justitiam spectant, ad Majestatem Suam Caesaream recurrant:

§. 1. Status et Ordines, eosdem Serenissimos Principes, illum in Sclavonia, hunc in Ungaria, tam praesente, quam absente Majestate Sua Caesarea, in rebus bellicis, pro Generalibus Majestatis Suae Caesareae Vices-Gerentibus acceptant.

§. 2. Supplices, ut in rebus Ungaricis, etiamsi illae bellicae sint; adhibeant (pro qualitate negotiorum) in consilium Ungaros quoque.

§. 3. Serenissimus vero Archi-Dux Carolus, eam cum Domino Bano Croatiae et Sclavoniae intelligentiam habeat; ne quid sequatur inconueniens et libertati Regni contrarium. \*)

*Cis Kolapim dica quomodo exigatur.*

## A r t i c u l u s 25.

Quod ad accolae citerioris ripae fluvii Kolapis (quos pro Turcarum depopulatione, nuncii Regni Sclavoniae a dica eximendos petunt) attinet:

§. 1. Statutum est; ut Vice-Banus cum Dicitore et Nobile illo, qui Dicatori adjungetur, ad loca illa proficisci debeat et juxta ipsius conscientiam, villas, quae connumerandae et dicandae visae fuerint, connumeret: Quae vero hostili periculo proximiores et ideo exemptionem ejusmodi merito habere visae fuerint; intactas relinquat.

§. 2. Sed tamen utrumque Majestati Suae Caesareae significare debeat, quae postmodum eorum, qui digni videbuntur, benignam rationem habitura est.

## RUDOLPHI IMPER. &amp; REGIS DECRETUM II. ANNI 1582.

*Limites Regni Sclavoniae revideantur; et Status, ac Ordines ejus Regni, sibi Commissarios nominare possint.*

## A r t i c u l u s 7.

Quoniam autem Regnum quoque Sclavoniae conqueritur de suis limitibus:

§. 1. Statutum est; ut illi quoque Regnicolae, in primo ipsorum Conventu de idoneis Commissariis, qui differentias eorum metales cognoscant, sibi prospicere et nominare possint.

\*) Vide Rubric. Jur. Ung. ad b. art.